B. N. C
FIRENZE
1148
20

1148.20

1148.20

# IN AVGVSTINVM AVRIAM SERENISSIMVM GENVAE DVCEM

*IO. BAPTISTAE PINELLI*

*CARMEN.*



1872

*SVPERIORVM PERMISSV:*

GENVAE, In Aedibus Ioſephi Pauonis. MDCII.

1148.20

# PERILLVSTRI
## D. D. IACOBO
## AVRIAE
### IO. BAPTISTA PINELLVS
### S. P. D.

QVOD obligaram, en vtcunq; abſolutum carmen. Annus abijt, ex quo inchoatum. quoties intermiſſum? quæ turbæ? quod naufragium? animum deſpondi quoties? tu probè noſti. vix ſcopulo viribus planè deſtitutus adnaui. Fragmenta hinc neſcio quot lacera, ac penè ſubmerſa collegi, atq; exſiccaui. Hoc tandem qualecunque compactum. malui mancum, quàm nullum. ain' tu longius? non inficior. lenta ſcilicet, quæ mendoſa. boni conſulas. hoc, opinor, fortaſsè anni moram, & corũ, quibus, vel ſe Muſarum æſtiment tyrannos, maximæ futurus hic erat gloriæ labor, intempeſtiuum ſilentium, ne ſtolidam ſiccitatem dicam, commodùm compenſabis. En tibi prodit ſubiturum vulgi iudicium. faxit Deus rectum. At quis fulgorem è fumo? pereat obliquum iſthuc. quid tandem vulgus?

nugæ, nimio plus ſapit ſedens. quà æmulari non licet, inuidet. vix aſpicio. nebulam puto. ſibilet, carpat, incurſet; negligam, obmuteſcam, nuſquàm dimouebor. Mihimetipſe quidem (fatendum eſt) parùm admodùm ſatisfeci: vtinam aliquà tibi; cœteris (de bonis viris loquor) ſi placuero, pergratum: ſin minus, æquo animo feram. Speculum igitur tibi hoc, in quo per patrem temet intueare, habeto. conuexum quidem. Ingenij culpa omnia detrita, imminuta omnia. Quid facerem? quicquid habui virium, id totum hîc per me expreſſum. Verùm enim quos mea in hoc vitia iurè Argos reddiderint, eoſdem certè laudum patris tui candor obcæcet. Iàm de te plurima, de me vix habeo quid dicam. prætermittam omnia. maxima illa non has in anguſtias intrudenda: hoc nihili decentius reticendum. Tuorum in me beneficiorum ſeges hac in areola non ſternenda, ne cui fortè putidiuſculo ingenio videar illicium potius tibi nouorum palpator obijcere, quàm veterum gratam recordationem ſincerus offerre. Plurima illa (ſatis hoc) plurimi facio, faciamq; dùm viuam. Anagrammata, quæ pollicitus, ad calcem attexta. plus in illis laboris, quàm laudis. pura puta certè, & defæcata. Cœterùm, ſicut te colo, atq; obſeruo, me meaq; ama. Vale tibi, & tuis. Ex ædibus noſtris. IX. Kal. Septemb. MDCII.

A D

# AD IACOBVM AVRIAM IOANNIS BAPTISTAE PINELLI

Carmen.

SALTV *Heliconiadum vario quã flore corollam*
*Poſt tantò inſudans operi decerpere quiui,*
A VRIA, *Caſtalij laticis decus, accipe. Frontem*
*Hac innecte patri: licet intertexta amaranthis,*
*Sintq; roſis, violisq;, & tenuia gramina calthis.*
*Illius in laudes carmen ductum. Illius hauri*
*Corde, oculisq; vtcunq; breui præconia charta*
*Inſita: mendaci neq; enim circumlita fuco,*
*Aut Labyrintheis ſunt abdita flexibus. Eià*
*Perlege, & hæc olim decora in te crede futura.*

*Vix*

*Vix natum excepit ſi te indulgentia cæli*
*Largior; & placidis riſerunt ignibus vltrò*
*Aſtra tibi, aſſenſuq; vno effudêre nitentes*
*Virtutum rores: ſi iuncta ſororibus artes*
*Paſithëe prædandi animos dedit: Idalio ſi*
*Vertice lapſa hilares oculis tibi Cypris Amores*
*Tunc primùm afflauit: ſi deinceps tempus in omne*
*Hucusq; à teneris æuo potiora fuerunt*
*Iudicium, Ingeniumq; tibi: per cuncta vagatum*
*Publica curarum, quò legibus ire poteſtas*
*Ritè annis conceſſa tuis, ſi deliquat vſus*
*Te decore haud tanto indignum, cur venerit ætas*
*Aequa vbi, non maneat primæ te gloria ſedis?*
*Haud temerè hic delatus honos: ſunt debita genti*
*Munera. Perge modò inceptum decurrere tractum,*
*Te quoq; ne dubita, quà fas, venerabimur oſtro*
*Fulgentem crines. Tunc, ſi mihi vita ſuperſit,*
*O me felicem! ò magnum vt tibi condere quidquam*
*Mens mea prægeſtit! Tunc fors egreſſus ab imis*
*Vallibus abripiar celeri per inania curru;*
*Quà mî & nunc timido ſtringit vix palmula littus,*
*Tunc audax maria alta petam. Iàm murmura ſyluæ*
*Ipſa vel vt mentem horrificent, animosq; retundant,*
*Sintq; opera interrupta mihi viden'? irritus atquî*
*Hic quoq; erat certè ſudor, tua dextera nî me*
*Vltrò ope iuuiſſet præſens, ab humoq; leuaſſet:*
*Torpuerant adeò duro ſub ſydere vires.*

Nunc

*Nunc demùm ſenſi, quàm dia in carminis arte*
*Nil valeam, & durus quàm ſim canere: At tua virtus*
*Nec non & ſenſi expertus quæ robora præſtet,*
*Quamq; vel infirmis animam ſummittat auenis.*
*Nempè rogant tua iuſſa: Hoc demùm eſt cogere. Dulci*
*Vis latet imperio. Quæruntur numine leni*
*Omnia. Dic agè, dic properem faſtigia Pindi*
*Ardua, vel toto cœtu obluctante ſororum,*
*Vincere: me (mirùm) reptare per auia collis,*
*Nixibus immenſis licet, immoriarq; labori,*
*Aſpicies, & opima ægrum ſpolia indè referre:*
*Tu quoniam lucem è tenebris, è cotibus vndam,*
*Rauco & olorinos generoſius ab anſere cantus*
*Elicis: vſqueadeò addictos tibi reddis, amoris*
*Queîs grata, IACOBE, tui recubare ſub vmbra*
*Sorte datum. Iàm ſi veſtigia ferre per auras,*
*Igneaq; aſtra manu ſupero diuellere ab axe*
*Me iubeas: ſtat cordi infixum, & firmiter hæret*
*Omnia moliri, & nil non audere fauentis*
*Ad nutum imperij. Sic non iuga torua Chimæræ,*
*Aut Lernam, aut Colchos, iaculantẽ aut fulmina rupem,*
*Sithoniumuè gelu, anguineisuè Libyſtida ſæclis*
*Tellurem horruerim fætam, rabidisq; leænis.*
*Me finge, vt lubet, atq; arcta: formam ilicet ibo*
*In quamcunq; voles; eademq; ſuprema nitebit,*
*Quæ mihi prima fides; liuorq; iniurius atro*
*Infremat ore licet, verè non arguar vmquàm*

Per-

*Perfidiæ: at, detur modò, te cinis, vmbraq; amabo.*
*Attonita intereà dùm te cano mente, vel vnum*
*Hoc oro, capiant te nullo tempore vatum*
*Tædia; neuè illos artem patiaris inertem*
*Turpiter in ſtultum, obſcœnumq; expromere vulgus.*
*Otia amant: Hunc Hæmus habet, tenet illum Aracynthus.*
*Hæc tu ne inuideas, quà poſſis. Hinc tibi nuſquàm*
*Fiet vti valeat caries obſidere nomen:*
*Quin erit, eximijs vndans vt laudibus annos*
*Te Fama æternos obuallet, & inſerat aſtris.*
*Virtutem fouiſſe tibi ſit gloria. Mentis*
*Deſipiant alij, & tendant monumenta potentes*
*Docta abolere virûm, Sophiæq; illudere alumnis:*
*At vada tranſiliant Lethes ſine nomine; & vnda*
*Ceu ſpuma illorum duret poſt funera rumor:*
*Dùm tibi per vates verum tutamen in æuum*
*Quæſieris, ſic te fæce & ſecernere noris.*

# IN AVGVSTINVM AVRIAM SERENISSIMVM GENVAE DVCEM

## *IO. BAPTISTAE PINELLI CARMEN.*

QVO *titulo innixum, & merito tua*
*viuida virtus*
*Iampridem in tantum decoris te*
*vexerit; arte*
*Tàm benè qua commiſſa obeas ti-*
*bi munera; durent*
*Quo pacto Imperia, occumbant*
*quo vulnere; claros*
*Deniq; tot vates inter tàm deſide auena*
*Quid me poſtremum impulerit tibi dicere laudes,*
*Hinc,* AVGVSTE, *canam. Noſtræ ſi inſurgere vires*
*Infirmæ nequeant, quò fax volat ardua mentis,*

*Quicquid id eſt, donum, atq; animum accipe. Pura voluntas*
*Hoſtia ſæpe Deo longè iucundior ara,*
*Quam votiua manus Pario de marmore ponit*
*Conſpicuam, trepidatq; aureis ornare figuris.*
*Iàm, mihi quandoquidem tu es carmen, lætior auſis*
*Annue, da facilesq; aures, mentemq; moleſtis*
*Seiunctam à curis. Te haud longa ambage morabor:*
*Sed per floriferos ſaltus, redolentia ſurgunt*
*Quà thyma, quà ſuaues exſpirat amaracus auras,*
*Sedula apis ceu ſumma legit: ſic noſtra tuarum*
*Laudum cura inſtet ſummos decerpere flores.*
*Aut velut immenſum radio deſcribere mundum*
*Cui labor in tabula, Oceani ſpatia ampla, ſinusq;,*
*Littoraq;, & ſcopulos, fluuiosq;, & ſtagna, paludesq;,*
*Oppidaq;, & nemora, & iuga, & irriguas conualles*
*Cogit in anguſtum: Ipſe etiam ſic plura relatu*
*Ardua faſce legam, & metæ ad ſuprema volabo.*
*Ex quo inſigne Ducum tibi murex obtigit, oris*
*Vt tua maieſtas aucta! vt nituiſſe repentè*
*Viſus es, & longè ſenium pepuliſſe, nouasq;*
*Sumpſiſſe vbertìm pollenti robore vires!*
*An velut in rigidis effætum ſentibus æuum*
*Exuit, annorum & reparat diſpendia ſerpens,*
*Tu tua ſæcla itidem inſtauras per dura laborum*
*Acrior, & triſti curarum gurgite ab imo*
*Fortior Imperij anxiferos emergis in vſus?*
*Ante quidem quàm tantum oneris tibi cederet, artus*
*Nodoſi*

Nodoſi grauiore frequens, AVGVSTE, iacebas
Vi morbi adſtrictus, medicæq; obnoxius arti;
Crebraq; in horriſono vitæ tuus æquore lembus
Ad ſcopulum ſæuis adlidi fluctibus atræ
Perſephones metuit dubia formidine tactus.
 Iàm verò Phœniſſa velut robuſtius arbor
Deſuper impoſitum ſuſtollit in aëra pondus;
Quoq; magis premitur, quæ brachia flexerat vltrò
Mollius hinc, atq; hinc cœlo generoſius effert.
Sic durus tete offirmat, qui ſaxea frangit
Corda, labor; geminatq; vrgens quà cura, valeſcis;
Alme ſenex. Non, non humanum opus. Hoc tibi cœli
Munus ab arce Deus prudens conceſſit habendum,
Quippe gubernandis populis depactus, in auras
AEthereas ſeſe candens tuus extulit ignis.
 Quandoquidem miris igitur te dotibus auctum
Pondere ſub tanto latè ſplendeſcere creuit
Omnipotens rerum genitor, tu pectore firmo,
Si qua cadent, ne cede malis; neu ſegnior ito,
Virtuti haud priſcæ diſpar; meritiſq; tuorum:
Verùm iter incœptum, quod pandunt numina, adurge.
Tu ſapis intègrùm, ac ſentis; nec dum piger obſtat
Ingenio ſanguis, quin protinus omnia verſet.
Semita collucet nullis obſeſſa periclis:
Perge age, dux Deus eſt: Deus hàc ſtat. An auſpice tanto
Liuentes ſalebras, obiectaq; tela furentis
Inuidiæ ſtudijs, & ſcrupea ſaxa paueſces?

*Ne dubita: audendum. Ille tuæ permittere dextræ*
*Iurè decus tantum voluit, ſplendoris auiti*
*Conſcius uſq; tui; & ſolidam quæ ſublitet alto*
*Virtutem tibi corde tuens, proprio auxit honore*
*Teq; tuamq; domum. Patruum quis neſciat olim,*
*Germanumq; tuos tali diademate cinctos,*
*Tempore quo patriam circumfluitabat acerbis*
*Tempeſtas obſcœna malis, cùm laude perenni*
*Patritios inter prima fulſiſſe curuli?*
*At ſi decurſis generoſa remetiar annis*
*Facta tuæ gentis repetens paullò altius, atro*
*Nox prius exiliens Erebo caligine terras*
*Cimmeria inuoluat, quàm ritè vel orſa canendo*
*Exſequar. Haud etenim ingentes euoluerit oras*
*Tantarum laudum digna teſtudine vates,*
*Vel pectus cui ferrum obeat, cui lingua rigenti*
*Mobilis ære micet, cui vox adamantina ſurgat.*
*Fortunata domus, ſimplexq;, atq; inſcia fraudis,*
*Unde nitet ſerie fultum genus; unde trophæa*
*Longè ampla Auriadum caſtriſuè foroué coruſcant!*
*Per decora hæc exin, tituloſq; increuit ad auras*
*Ardua, & emeruit veræ contingere culmen*
*Gloriæ, in hoſtiles puppes per cærula ponti*
*Siue opus inſtructæ fuerit ruere impete claſſis,*
*Seu ſola per terræ florentes ære manıplos*
*Ductare, & celſas validis aſſultibus arces*
*Vrgere, aut Martem obſeſſis auertere muris.*

*Iàm*

*Iàm vero hinc bello egregij quot in æthera ſeſe*
*Heroes ſublimè ferunt, tot protinus illinc*
*Cernere ſit pace eximios, patreſq; togatos*
*Frænare Imperia, & populis edicere leges.*
*Ergò horum ingreſſus veſtigia, culmen honorum*
*In patria tandem potuiſti æquare merendo,*
*Tu quoq;, & aurata crines innectere vitta,*
*Purpureoſq; tuum per faſces ducere nomen.*
*Adde, quòd hic vltrò oblatus, non fraudibus vllis,*
*Non tibi ſollicitis animis, ſtudijſq; fauentûm*
*Conquiſitus honos. Regimen quin neſcia tantum,*
*Atq; adeò obluctans ſubijt tua dextera clauum:*
*Te neq; enim ambitio, nec ſceptri dira cupido*
*Spinoſis vnquàm potuit conſcindere curis.*
*Promeritis ergò tantis hæc gloria ceſſit,*
*Serius ò quamuis! etenim vel ſceptra mereri*
*Olim vulgò habitus. Te artes fulſiſſe per omnes,*
*Queis decora, & meritò primi debentur honores,*
*Iàm tùm cùm prima obduxti lanugine malas,*
*Crediderim. Quis te anteactos præclarius annos*
*Vixerit, infrænis qua tempeſtate Iuuenta*
*In præceps de more ruit per lubrica vitæ,*
*Agmine condenſo & ſcelerum manus ingruit æuo?*
*Ingenio ætatem ſemper præeunte, tuarum*
*Fax nituit latè virtutum; annoſq; per omnes*
*Te circum auratis volitauit gratia pennis.*
*Quid referam, vt proauis deducto ſtemmate clarum*

*Vi*

*Vt magna tibi ſemper opum Rhamnuſia virgo*
*Inſtiterit ditare genus? nec diuitis auri*
*Copia, cunctorum quamuis ſeges vna malorum,*
*Vel minimi in tenuem impulerit te criminis vmbram?*
*Sed quid ego hæc vltrà memoro? quid priſca reuoluo?*
*Cur minus ire, diù quò iàm me proripit ardor,*
*Incipio? Ite aliò vetera: ad præſentia ducor.*
*Phœbe faue: Aura opus: immenſum perlabimur æquor.*
*Ecquem animi fallit, quantis virtutibus auctus*
*AEuum agites? Tibi non ſubter præcordia liuet*
*Mens animi; nec felle iecur tumidum ocyus iras*
*Excitat, in furias animum raptare valentes:*
*Sed tibi purgatum pectus non vlla nefandi*
*Tela queunt petiiſſe modis ſtridentia miris:*
*Sed Pietas, ſed priſca Fides, ſed candida morum*
*Integritas tete certatim largius ornant.*
*Tu Iudex adprimè æquus, non vtile præfers*
*Iuſtitiæ, aut ſtudijs ardentior omnia miſces;*
*Neuè tua hinc pendet lanx, aut depreſſior illinc:*
*Nàm bene quæſito cùm manes plurimus auro,*
*Vndiq; & irradies gemmis inſignis, & oſtro,*
*Non nebulam exhalas, quam cæca ſuperbia faſtu*
*Progignit; nec te capiunt faſtidia vulgi.*
*Fortunam virtute domas. Sic publica rerum*
*Stat moles librata. Patrum non gratia languet,*
*Non Plebis. Sic vota tibi certantia vtrinque*
*Ingeminant æquè, quoniam pater omnibus idem es.*

*Sic*

*Sic ætate omni quæ circùm ingentia facta*
*AEmula ſors viguit, non laudibus obſtrepit vlla*
*Parte tuis; vitamq́ trahes ſi longius, illam*
*Non ſtringet liuenti admorſu lurida ſerpens,*
*Hoſpitium ſortita atrum ſub gramine linguæ:*
*Nam bonus, & facilis, dulci & grauitate repletus*
*Comiter impertis attentas omnibus aures.*
*Sunt molles aditus: ſeu vir, ſeu fœmina ſupplex,*
*Diuitijsuè fuat præſtans, ſeu paupere cenſu*
*Vilior, ex æquo excipitur; nulluſue recedit*
*Triſtior à te vſquàm, ex adyto dùm pectoris edis*
*Quæ mentes, triſtesq́ animos reſponſa ſerenant.*
*Cum verò patrum conſilis in agmine princeps,*
*Tunc tua & integritas patet, & prudentia fulget,*
*Quemlibet admitti vetitum dum ſedulus inſtas*
*Intrà limen, agiq́ omnes ex ordine cauſſas.*
*Tunc tibi nulla animum potis eſt ſententia recto*
*Flectere, de tractu, ſeu largo è fonte diſerti*
*Defluat eloquij Herculeis operoſa cathenis,*
*Seu melior Craßi tumido deuoluat ab ore.*
*Scilicet hinc illa emanant præconia vocum,*
*Cùm decus Auriadum, columen virtutis, ocellus*
*Iuſtitiæ, Imperij ſpecimen, ſpes inclyta Iani,*
*Delitiæ Ligurum, Patriæ clariſſima lampas,*
*Flos delibatus populi, noua gloria ſæcli*
*Diceris; & volitant de te bona verba per aures.*
*Sed neque iam cenſus, neque cura domeſtica mordet*

Vlla

*Vlla tibi mentem. Priuata negotia prudens*
*Commiſiſti vltrò natis florentibus alto*
*Ingenio, & tanto genitore, & ſanguine dignis.*
*Sunt patria virtute ſati: patrium inſtar in illis:*
*Sic ſeros degant annos, ſobolemq; propagent*
*Non ſibi degenerem, nec auitæ laudis egentem.*
*Ergò alacres ſubiere humeris onus. At tibi, rerum*
*Quamuis emergas ſubductus mole tuarum,*
*Vix reſpirandi ſit copia, pectore toto*
*Vſq; adeò ſceptri violento è munere pendes,*
*Viribus & totis in publica commoda nitens*
*Verteris uſqueadeò, officijq; obtunderis uſu.*
*Quin etiam, circum cui ſtat præcordia ſanguis*
*Integer, vt Iuuenis grauiore Cupidine pectus*
*Saucius, haud ſolùm diros expergitus ignes*
*Sentit, & immiti verſatur Amoris in orbe;*
*Sed grauè per ſomnum (ſtudio nàm deditus hæret*
*Cui quiſq;, & ſibi ſopito illud obire uidetur)*
*Angitur, & furtìm voces concinnat, & altùm*
*Diſperit vnde miſer ſuſpirat, & ora tuetur.*
*Sic tute in patriam tanto efferueſcis amore*
*Peruigil, vt vel dùm placidas nox explicat alas*
*Vndiq;, & alta quies mortalibus irrigat artus,*
*Sæpius illa tibi in ſomnis ſub imagine læta,*
*Aſpera more ſuo rupis geſtamine dorſum,*
*Tectaq; cæruleo curuatum pectus amictu,*
*Aduolet ante oculos, caro & gratata nepoti*

*Multà*

*Multà prius, memoret cauſſas, regna vnde ſeneſcant*
*Serius, vnde ruant properè; interiusq; recludat*
*Cordis, &, vnde pauet, curarum ingentia pangat.*
*Imbuit illa ergò tanta dulcedine mentem,*
*Tempore quo primùm crines tibi purpura cinxit,*
*Vt præ lætitia dederit tibi brachia circum*
*Ter collo, & tales effuderit ore loquelas.*
*Fortunata, Deum tota quod mente popoſci,*
*Iàm tandem retuli. Iam votis gratia maior*
*Obtigit. O vt certatim reuoluta benigno*
*Obtutu in noſtram fixerunt lumina cauſſam*
*Sydera! Quid iàm reſtat adhuc, à numine dextro*
*Quod magis optemus? noſtrum flexurus habenas*
*Fortiter Auriga en nulli virtute ſecundus*
*Iàm tandem potuit meritò conſcendere currum,*
*Vnde nec obrepens liuentis glarea cliui*
*Præcipitem excutiat, nec equûm furor auius. Ergò*
*Lætantes placido teſtemur gaudia vultu;*
*Sitq; vltrà voluiſſe nefas. Namq; hic hederæ inſtar,*
*Parietis ad ſummum quæ ſerpit lenta cacumen,*
*Haud erit: illa etenim quamuis vmbracula, quamuis*
*Ver longum inſternat, muſco & pallente corymbos*
*Integat: officij ſpetie tamen omnia, vernat*
*Queîs nixa, in præceps ferri, & ruere impete magno*
*Cogit. At immota vt rupes, & äheneus Othrys,*
*Fulciat hanc molem, ſi quando agitata vacillet.*
*At te, care ſenex, roſeus cui tempora fucus*

*Ambit, vt accipio, venerorq; libens! vt auorum*
*Egregias laudes, AVGVSTE, & grandia per te*
*Poſſe reconflari cogor ſperare meorum*
*Facta! Viden', verti incipiant vt ſæcla tenore*
*Rerum læta magis? longè vt meliore metallo*
*Eniteant Soles, & lenior aura ſuſurret?*
*Cuncta tibi euentus ſpondent, mihi crede, ſecundos:*
*Nam neq; te, celſo ſteterat quæ in vertice turris*
*Fixa diù, perfracta modò ſi corruit arbos*
*Aurarum impulſu, augurijs leuioribus vſquam*
*Terruerit: tibi quin forte, & ſerum integrat æuum:*
*Te duce quippe dato carioſam Aſtræa ſenectam*
*Diſpulit, & valido te ſtipite fulta niteſcit.*
*Intereà tete (quamquàm haud opus) acrius ire*
*Cœptam hortata viam, & non cedere caſibus vllis,*
*Profuerit quicquid, minimùm ne fræna labaſcant,*
*Expediam: & longo id (te iudice) carmine dignum eſt.*
*Prima, vti ſit, ſit cura Deus: tanto auſpice ſera*
*Stat Pietas: populoſq;, Urbeſq; hæc vna tuetur*
*Acrius: hac vna felicia cuncta parantur.*
*Hinc vigeat Virtus: regnet Pudor: omnibus adſit*
*Inuiolata, alboq; Fides circumdata velo:*
*Cuiq; ſuum tribuatur: amans ſit Iuris, & Aequi*
*Arbiter: Haud vllum ſurgat diſcrimen; ab Iro*
*Non diſtet Crœſus: librentur crimina; veris*
*Supplicijs reſecentur: atrox ſit pœna latronum,*
*Furumq;, hinc illinc rapta qui veſte per vrbis*

*Compita nocturni violenter præmia poſcunt;*
*Quiq́; aſtu cæco, ſceleroſa & fraude tabernas,*
*Quas merce aducta peregrinis inſtitor oris,*
*Aut opulentum aliud genus artificum obſtipauit*
*Multiplici gaza, terebrant, atq́; omnia raptant.*
*Quod ſi, AVGVSTE, malum tantum quæ machina vincat*
*Scire aueas, animum prudens aduerte, docebo.*
*Sint gemini ciues intêgris moribus vrna*
*E certa educti, qui noctis tempore luſtrent*
*Excubijs vrbem, dùm menſtrua Luna reuiſat;*
*Quo ſpatio excurſo parili ſuccedere cura*
*Ritè velint alij, atq́; alij luctamine nullo;*
*Perq́; vices id munus eat. Latebroſa viarum*
*Vnanimes ergò inquirant. Hos ſumma poteſtas*
*Sit penès & vitæ, & lethi in palantia quotquot*
*Obuia ſæcla virûm fient ſibi. Ab arbore olenti*
*Quiſq́; vbi deprenſus perfracto gutture vinclis*
*Pendeat. Hinc auidas pœnæ formidine dextras*
*Abſtineant alij moniti, atq́; iniuria ceſſet.*
*Id facile eſt factu, multo ſi milite cincti*
*Incedant. Sic rarus erit, qui nocte vagetur*
*Armiger aut prædo, aut damnata cubilia reptans.*
*Adde, quòd è Stygia glans plumbea arundine nuſquàm*
*Afflictura ſolo miſeros erumpet ad auras.*
*An non per ſaltus, per agros, & per iuga montis,*
*Ruris opes, paſſimq́; ædes popularier exul,*
*Aſſuetuſq́; hominum vitas mercede paciſci,*

*Hac arte, aut ſimili in tenues euanuit auras*
*Plurimus? Ah immane nefas! crudelius ergo*
*Legibus, & muris clara degetur in Vrbe;*
*Atq; in agris ſecurius otia ducet arator?*
*Inſuper, vt duro ne plebs immurmuret ore,*
*Et Bacchi donis, & Palladis vnguine cellas,*
*Horreaq; in longos diſtendi meſſibus annos*
*Hortare; & rebus quod cenſor publicus æquè*
*Fixerit, vt pretium fraude inuiolabile fiat,*
*Qui fora ſit multus, qui compita trita ſatelles*
*Munere non vllo capiendus obambulet: At ſi*
*Vel minimùm Iudex manibus hunc arguat vncis,*
*Ilicet edicat ſcelerato ſtipite ad auras,*
*Præſertim quà terga boûm venalia pendent,*
*Quàq; mari auctus grex ſquammigerûm angit auaros,*
*Suffigi horrorem turbæ, & ludibria ventis;*
*Artificemq; doli infames dare corpore pœnas,*
*Damnatum, quàm longa ætas, incumbere remis.*
*Præterea qui tantus obit conuiuia luxus,*
*Magnificas vel opes Regum abſumpturus, agatur*
*Perſidos in menſas, nimio quas putida ſumptu*
*Mollities ſtruit; & teritur quæ ſerica vulgò*
*Veſtis, acu argutùm quam doctior interpunxit*
*Dextra, relegetur turpes Babylonis in oras,*
*Expoſitas tectura nurus, tectura puellas*
*Verius. O miſeri, veſtras tàm tenuia mentes*
*Oblectare adeò? Quid mira toreumate claro*

Aula,

*Aula, quid argenti lamnis laquearia, & auri*
*Inſignita iuuant? melius num fortè ſoporem*
*Concilies; citiusuè accenſo è corpore cedat*
*Febris, in oſtrino ponas ſi membra cubili;*
*Sternasq́ aulæis thalamos, pictisq́ tapetis?*
*Mollia in vrbanis tibi quæ topiaria rident*
*AEdibus, & florum hyberno vel tempore vernans*
*Copia, nùm Parcas, & triſtia iura mouebunt?*
*Proh quanta in nocte, atque animi caligine degit*
*Hoc ſæcli! Ah per mille dapes, per fercula mille*
*Cur breuior vobis aperitur ſemita mortis?*
*Quis furor? annè parùm fuerat per bella, per ignes,*
*Perq́ vndas ſæuire illam, infectasq́ per auras,*
*Nî per vos etiam lethalis menſa ſubibat?*
*Diſcite, mortales, quàm longos duxerit annos*
*Prima ætas contenta vndis, & ſimplice victu,*
*Quæ, Pyliam nequijt cùm ſaltem anteire ſenectam,*
*Queſta Deos, nondumq́ æuo ſaturata receſſit.*
*Iàm quota pars hominum biſeptem claudere luſtra*
*Cernitur? in peius ſenſim ſublabitur orbis;*
*Veſtraq́ delitijs, epulisq́ attrita labaſcunt*
*Corpora: & innumeras ſtomachus dum decoquit eſcas,*
*Subruit infelix, nimioq́ labore fatiſcit*
*Ocyus. At ſi quis vera ſe lege gubernet,*
*Et velit ad victum quæ purus flagitat vſus,*
*Haud dubito, præter ſolitum quin ſtamina vitæ*
*Prouehat, & caros videat florere nepotes,*

*Parcè*

*Parcè & viuendo grandes ſibi congerat auri*
*Diuitias, ſolida & fundamina prima domorum.*
*Nunc agè, vt obliqua ex animis morum agmina cedant,*
*Percipe quod ſupereſt. Quoniam quo tramite alendus*
*Quisq; ſuæ prima inſtiterit veſtigia vitæ*
*Permagni refert, ideò fugitare Iuuentus*
*Otia, quæ ſceptra euertunt, vrbesq; beatas,*
*Fac properet, Martisq; colat fera munera, & artus*
*Formidato iterum obduret generoſa labori:*
*Aut amet æratis calcare triremibus vndas*
*AEquoris; & ſpumantem abiegnis nauita contis*
*Verberet impauidus pontum, quò priſca reſurgat*
*Gloria, & antiquum repetant hæc ſæcla nitorem.*
*Iàm quis Plëiadumq; , Hyadumq; ardentia cælo*
*Sydera, quis triſtem Arcturum, pigrosq;. Triones,*
*Lunäiq; globum inſtabilem, celeresq; meatus,*
*Vnde tumeſcere atrox pelagi, & ſubſidere dorſum*
*Aſſuetum, æquoreo ſubter quis marmore curſus*
*Nouerit vndarum rapidos? quis ab arte latentes*
*Scrutetur cauſſas, quas olim comperit vſus*
*Nauticus, & toties peperit mihi laude triumphos?*
*Ah quoties ſpolijs ærarî hoſtilibus auctus*
*Enituit cenſus? quoties direpta carinis*
*Aduerſis templorum aureo pendere meorum*
*Ampla trophæa tholo, & vidi ſinuarier auris*
*Carbaſa? Iàm veterum labefacta duellica virtus:*
*Proh dolor! expandit iàm rarus lintea Typhis.*

*Ven-*

*Ventorum flabris: Iàm Tethios humida ſordent.*
*Nàm quòd mercator freta per Neptunnia puppes*
*Lucra petituras longinquum impellat in orbem,*
*Sint repetenda licet ſeris compendia terris,*
*Præcipuè vt ſcopulos inter gens edita alatur,*
*Non vetus idcircò laus, non hæc gloria noſtra eſt.*
*At non primorum tectis cùm dia pependit*
*Palmula, conſpicienda vijs, ſic priſca Iuuentus*
*Torpuit, inſanis potuit quæ Boſphoron vndis*
*Temnere, & Imperium ad Tanaim proferre ſuorum*
*Puppibus inuictis. At quid flenda vſq; reuoluo*
*Plura? vel inditium hoc pateat diſcriminis: olim*
*Vnus homo è noſtris obſcuro ſanguine cretus,*
*Axe ſub aduerſo ignotum percurrere mundum*
*Auſus, & extremæ fragili trabe littora Cubæ*
*Perlegere, & cum Sole ſuum protendere nomen:*
*Nunc glomerati omnes vix abſterrere latronum*
*Sufficitis lembos, qui veſtram turpiter oram*
*Depopulant: ſtudia vſq; adeò generoſa quieſcunt.*
*Præterea cur non florens Virtute Lyceum,*
*Gymnaſiumq; nitens ſtudijs fundatur in Vrbe,*
*Campus vbi ingenijs pateat? Tritonidos arcem*
*Pauper vbi ſubeat facilè, impenſaq; vel arcta*
*Aëria poſſit decerpere ab arbore ſuaues*
*Omnigenæ fructus Sophiæ? nùm fortè magiſtris*
*Quæ foret accitis ſtatuenda pecunia deſit*
*Annua? nùm fortè hinc cenſus cogendus, & illinc*

Durior

*Durior in capita, vt talem ſumatur in vſum?*
*An non legatum æs ideò iàm tempore multo*
*Intĕgrum adhuc ſuperat? proh dedecus! Vltima, quorum*
*Morte obita gremio tellus tegit ỏſſa, volũtas*
*Sic neglecta iacet? tabulis exempta ſupremis*
*Siccinę maieſtas, violanda haud caſibus vllis?*
*Tantum opus aggredere. O coeant diſcordia in vnum*
*Per te vota patrum, aſſenſuq́ incœpta ſecundent!*
*Digna agnoſce viro: præſto omnia: concipe magnam*
*Spem maiore animo: Turpe eſt differre: diſertus*
*Incipe: concilÿs (mora nulla) hæc conſule: cliuo*
*Cedentem aduerſo validis calcaribus vrge.*
*Fare agè pro cauſſa: extemplò ſententia, ſi qua*
*Fortè obdurat adhuc auſis contraria magnis,*
*Crede mihi, te verſa retro ſuadente patebit.*
*Proh quanta hinc tibi ſeſe vni laus obÿcit vltrò,*
*Tu modò ne ceſſes oblato cardine! Tempus*
*Arripe: perpetuis te annalibus inſere famæ;*
*Teq́, decusq́ tuum venientia ſæcla loquantur.*
*Ianua virtutum ſic non præcluſa capaces*
*Ad præcepta animos, clarasq́ admittet ad artes.*
*Sic ſtimuli ſuberunt, qui vel reſupina potentûm*
*Inſtigent iuuenum præcordia. Proh quot amaris*
*Tunc freta tunc æui inſinuantur operta periclis!*
*Deſidiosè etenim degunt, aut præpete greſſu*
*Proripiunt ſeſe, quò effræna licentia raptat.*
*Hinc dapibus ventrem obſtipant: hinc fœda voluptas*
*Vulnere*

*Vulnere tabifico ſubigit palleſcere vultum;*
*Cinctaq́ mors diro vmbrarum properat comitatu;*
*Roranteſq́ genas gnatorum in funere matres*
*Incaſsùm lacrymis vlulant, laniantq́ capillum.*
*Hinc cædem cædi accumulant: hinc alea feruet:*
*Hinc (præceps iactura) vades geminantur; & inſtar*
*Fluminis Oceanum in ſcelerum patrimonia voluunt.*
*Quin pede ferrato quos Fortuna vrget, amarè*
*Tundier, & crebro potiorum cernimus ictu,*
*Quæ ſibi pacta, etiam rerum mercede negata,*
*Iactari immeritò: Sic ruſtica ineptit opum vis.*
*Nàm veluti campus, qui nondum ſenſit aratri*
*Pondera, ſylueſtres tantum, fera uimina, dumos*
*Suggerit, aut inamœna argilla obtectus inhorret:*
*At ſi purgetur raſtris, & vomere prono*
*Horrida ſollicito inuertatur gleba labore:*
*Tùm verò commiſſa ingenti fœnore reddit*
*Semina, &, exurit quo tempore Seirius annum*
*Torridus, agricolam Cereali munere ditat*
*Lætior. Humani ingenij ſic moribus aſpris*
*Principiò, ni ritè colas, obducitur aruum,*
*Cogitur & ſenſìm immani lapideſcere ritu.*
*Hiſce agè Palladiæ iaciantur ſemina gazæ;*
*Cultuq́ aſſiduo ſit mens educta: benignos*
*Largius, & morum ſuaues inoleſcere fructus*
*Aſpicias, domitoſq́ animos mirere repentè.*
*Hi demum, firmata ætas vbi venerit, altas*

*Excutient tenebras vulgo, & quoquanq; vocabit*
*Aura magiſtratus, torquebunt robore dextræ*
*Ritè gubernaclum. Ergò hæc verſa pectore, tanti*
*Dux & ames dici, ſenior placidiſſime, facti.*
*Vltima quæ fabor, cordis penetralibus abde,*
*Vtpotè quæ extremam Imperijs neglecta ruinam*
*Sæpius attulerint. Si quando iurgia gliſcant,*
*Ne patiare animis deſæuiat vllus acerbis;*
*Longius aut iræ pergant procedere. Prudens*
*Ergò altè veſtiga animo, ſtudioq; ſagaci*
*Semina rixarum eruere interiecta potentes*
*Præſertim accelera: tenues coniectus in herbas*
*Namq; ità Vulcanus parua eſt iactura colonis:*
*Ilicis at nigræ, vel odoratæ Cypariſſi*
*Flamma niſi extemplò mergatur flumine, peſtem*
*Serpere mox latè aſpiciant, totamq; peruri*
*Antiquam ſyluam. idcircò grauitate verendos*
*Præſtiterit legiſſe viros, componere motas*
*Qui turbas norint, & pectora fœdere iungant.*
*Denique fac leges vigeant, non pariete fixæ*
*Stent, animis ſtent: ſeruentur diſcrimine nullo;*
*Neue imitentur opus, tenui quod pendula filo*
*Neuit araneola, & trabibus ſuffixit: At ære*
*Conflatæ, aut chalybe, aut duro rigeant adamante.*
*Hoc demum eſt regere: Hæc ſi fundamenta locentur,*
*Non opus armorum auxilio, non arcibus vllis,*
*Unde ſuos valeant ciues tutarier vrbes.*

*Hæc, hæc, crede mihi, ſunt propugnacula bello*
*Fortia, flammiuomis non excindenda metallis,*
*Non capienda dolis hoſtilibus. Agmine denſo*
*Plebs, vbi opus, pugnam vltrò ineat, vitamq; profundat*
*Pro patria, æternamq; petat per funera laudem.*
*Talibus imbuerant ſibi quæ noua gaudia pectus*
*Illa tibi lætans oſtendit, & oſcula fronti*
*Cara dedit, lapſoq; repens ſomno, ignea certis*
*Flamina vbi ordinibus nouies diſtincta Tonantis*
*Vnius imperio reſident, æuoq; fruuntur*
*Aeterno, expandit purum ſuper æthera pennas.*
*Sic tibi non vmquàm curarum oblita quieſcunt*
*Pectora; ſeu Phœbus colluſtret lumine terras,*
*Seu rapido Oceani ſeſe ſub gurgite mergat.*
*Quarè alij obtentu ſceptri rapiantq; ferantq;*
*Omnia, remq; ſibi populari ſanguine conflent*
*Ocyus; atq; alij ſemota principe cura*
*Purpurei tituli, ſuamet compendia ſummis*
*Nixibus accurent, patriæq; (immane relatu)*
*Anteferant, ſi quid caſu ſe obiecerit, vnde*
*Vel tenuis cenſum augendi ſuffulgeat aura.*
*Turpibus ille autem ſtudijs præcordia tactus,*
*Exuperanſq; animis, rebus cui forte nouandis*
*Pectore mens inhiat furijs exercita Auerni,*
*Seditione ruat, ſcelerumq; hortator amara*
*Verborum illecebra pacatis ciuibus atras*
*Conciat hinc illinc turbas, moueatq; duella,*

 *Demens,*

*Demens, continuò fieri qui neſciat vrbes*
*Diſcidijs vaſtas, tamenetſi machina cælo*
*Ardua mœrorum pinnis per inania ſurgat,*
*Rupe & inacceſſa circumuallata rigeſcat!*
*Alter obeſæ alui ſtratis conuiuia lectis*
*Barbarico luxu peragat, madiduſq; Lyæi*
*Flore dies, nocteſq; ignauius incubet oſtro,*
*Aut ſenſum oblectet fœdi per gaudia cœtus:*
*At triſte incaßùm ſecreto è limine vulgus*
*Pendeat, optato dùm vertant cardine poſtes.*
*Tu virtute tua patriæ regere,* AVRIA, *clauum*
*Perge: iter incæptum tende, vt facis: omnia rerum*
*Lætior optatis ſucceſſibus hauriet ordo.*
*Fide Deo: Hæc ſumma eſt regni: ſic degitur æuum*
*Ingenuè: ſic indicium mortalibus edis,*
*Sceptra regi vt valeant nullis obnoxia culpis.*
*Ergò iurè omnes, contrà quibus aurea lethum*
*Munijt excelſo ingenio Sapientia pectus,*
*Certatìm aggreſſi gaudent tibi condere laudes,*
*Seu pede dicendum ſit vincto, ſiue ſoluto.*
*At quamuis tanta æternis æquare laborent*
*Acta voluminibus, non ſint ſatis; omnis, & impar*
*Sudor eat meritis: longè nàm plura relatis*
*Hactenus, & poſthac vincenda haud nixibus vllis,*
*Scilicet exſuperant. Ipſe autem incondita pangens*
*Carmina, ſi indignè tot Cycnos inter ad aram,*
*Laus tua inextinctis vbi fulgurat ignibus ardens,*

*Acceßi,*

*Acceſſi, veniam poſco. Haud potis improba nubes*
*Phœbo extinxe iubar, medium cùm vergit ad axem;*
*Florea vere nouo nec ſordent æquora campi,*
*Si violaſq; roſaſq; inter ſaliunca vireſcat*
*Vilior, & paßim ſubeant, mala gramina, lappæ.*
*Quis ſcit an exili de noſtro carmine ſurgat*
*Olim anima, & plectro longè grauiore rependat,*
*Quæ nunc tot curas inter, mentiſq; tumultus*
*Vix ſilice ingenij nitens excudere quiui?*
*At ne animi dubius fingi tibi ſomnia credas,*
*Aduerſæ immeritò quanta vertigine Sortis*
*Torquear, & quanti circùm mea pectora fluctus*
*Curarum aſſultent, nuſquàm conſiſtere vt auſim,*
*Adſpice. Quid tantum merui, vt violentior vſq;*
*Me Fortuna malis oneret, ſæuiſq; procellis*
*Impetat? Annè iecur diſtentus flamine dio*
*Archilochi, Vmbrarum vitaſq;, & crimina pango?*
*Nùm quem incauta meæ forſan petulantia linguæ*
*Læſerit? aut vltrix fuerit mea Pieris olim*
*Pallori cuiquam, intactos quæ liquerit vltrò*
*Vel ſcelerum artifices, titulis quos aſper amaris*
*Vellicat impunè, & vulgat per compita Rumor,*
*Turpe hominum genus, & famoſi carminis vber,*
*Vnde vel inuitis igneſcant Vatibus iræ?*
*Non mihi tam tenuis titillat gloria pectus;*
*Nec malè ſubuertit mentem mos tàm impius: Vndis*
*At generoſa virûm ſubducere nomina Lethes,*

*Gran-*

*Grandiaq́ (ô ſeris) intexere facta Camœnis*
*Molior: Hic certè labor eſt meus: Hinc mihi nomen*
*Ire aueo: Ingentes ſyluæ, ac fœcunda malorum*
*Sæcula, non noſtra procumbant cæſa ſecuri:*
*Delaſſent, quos Muſa ex æquo, & Liuor obarmat.*
*Ipſe equidem, ſpernunt velut alta Ceraunia ventos,*
*Obſiſtam aduerſis, & rauca tonitrua vulgi*
*Calcabo immotus, ſaliente nec obruar æſtu.*
*Nulla ærumna animum generoſo robore cinctum*
*Proruit, aut aliquà infirmat molimine cæco*
*Paullatim oblimans. Superat longè omnia virtus.*
*Omnia non vllis ſapiens conatibus exit,*
*Quem nec Auarities, nec Amor ſceleratus habendi*
*Concutit, Inuidia aut ſtimulis non macerat intus*
*Hunc aſpectari, & rapido ad faſtigia rerum*
*Emerſiſſe gradu: latè fulgentis at illum*
*Nominis inter opum immanes conſidere aceruos:*
*Quamuis non adeò niteant ſibi largius ædes,*
*Nec famuli conferti adſint, qui iuſſa capeſſant:*
*Quamuis obſcurus, grataq́ inglorius vmbra*
*Deliteat, nutuq́ ſuo ſibi temperet horas.*
*Iàm veluti cantu Marſo diſrumpitur anguis,*
*Sic aluum medius rumpatur, & ilia frangat*
*Liuidus, aut ſeſe deturbet vertice ſaxi*
*In pelagus, quà ſæuit hians anfractibus vnda,*
*Diffleturuè anima Eurorum, Boreæuè rigeſcat*
*Flamine, vbi cælo ſe ſubleuat Apeninus.*

*Quæ*

*Quæ meus intereà obſcuro tenuauit in antro*
*Spiritus, accipias oro, nec vilia temnas*
*Munera: venturis adeò ſint pignora noſtri*
*Non ingrata animi officium teſtantia ſæclis.*
*Quòd ſi ſponte mea poteram componere carmen,*
*Compellans grandi tete ſuper aſtra cothurno,*
*Iampridèm impuleram, totasq; Helicone reuulſas*
*Laurosq;, ſtirpesq; tuæ ad ſublimia laudis*
*Impiger excieram. Annè mihi ſit gratius vllum,*
*Quòq; magis cupiam ingenij dare lintea, quàm quod*
*Teq;, tuæq; ferens ſobolis præconia cælo*
*Mens mea texit opus? Iàm mî cum inuiderit hanc Sors*
*Dira voluptatem, ſicco licet exeat hauſtu,*
*Noſtra vtcunq; cani ne dedigneris auena,*
*Conſcius huic porrò id totum impendiſſe laboris*
*Quod pote me obnixè, atq; ideò vigilaſſe cadentis*
*Sæpius obliquum in noctis, cùm tarda Böotes*
*Plauſtra agit, Arcturum medio ſub pectore raptans.*
*At ſi ex quo cæptum tanto poſt tempore forſan,*
*Longè omen, noſtro prudens in carmine quicquam*
*Segnè laboratum offendes, AVGVSTE, nec vllo*
*Flore litum Pindi, aërio nec roris Hymetti*
*Munere contactum, ò maneat te ſerior ætas*
*Sic, placidosq; tibi iucundior exigat annos,*
*Ne mihi ne vitio vertas, neu deſide cultu*
*Me ceciniſſe putes: neq; enim mihi defuit vmquam*
*Viuida vis animi, mentisq; impenſior æſtus*

*Te per inacceſſos tractus, perq; inuia cæli,*
*Quà tua remigio pinnarum nixa volatus*
*Explicat ales, acuta Ioui quæ tela miniſtrat,*
*Ponè ſequi: Vndiſonum quamuis hinc marmor, & illinc*
*Turbidus Eridanus damnarent auſa. Sed ægris*
*Viribus id totum adſingas: Nam fortè per auras*
*Paullò antè hic morbus, qui noſtris ſe adpulit oris*
*Lethifer, Autumni grauior comes, impete magno*
*Me quoq; corripuit, furiali & verbere totos*
*Ilicet vsq; ferox adeò mihi contudit artus,*
*Tàm propè vt extremam nigri me funeris horam*
*Non aliàs ſenſiſſe rear. Proh quanta malorum*
*Colluuies orbi per te, & tua furta, Prometheu,*
*Ingruit! ò centumgeminus ſi erumpat in auras*
*Caucaſus; æternumq; Vncis iecur, impie, roſtris*
*Sæcla tibi innumera alituum paſcantur, vt impar*
*Supplicium ſit adhuc, tantisq; indignius auſis!*
*Hinc genus humanum Vt lueret temeraria noxæ*
*Unius, atq; Vltrà auderet ne talia, cœtu*
*Flammato ſuperûm eſt ſixis cumulata poteſtas*
*Luminibus, cumulata Vagis, exordia rerum*
*Diſcretis ſeu pura locis, ſeu mixta ſub axe*
*Terreni per priua globi ſint corpora, miros*
*Turbandi per mille modos. Hinc ampla nocendi*
*Phorcidos anguineo capiti data copia terris:*
*Hinc Canis, Erigone, Arcturus, Chelæ, Anguis, Orion,*
*Caſſiope, Andromede, Cepheus, Atlantides, Hædi,*

*Pegaſus, atq; alia inter quæ Babilonius aër*
*Plurima per ſudum edocuit, morbumq; ,famemq; ,*
*Bellaq; , diluuiemq; orbi, flammasq; , procellasq;*
*Alternà inuergunt oriendo , alternà cadendo.*
*At verò extemplò penitus vaſtare colonis ,*
*Totumq; & tabo ,fluidisq; inuoluere mundum*
*Peſtibus, imperia haud vllis tàm immania ſignis*
*Quàm ceſſere tibi , plaga cui cæli vltima ſeruit ,*
*Falce ſenex armate , vagis cui lentius aſtris*
*Per conuexa poli terdenis voluitur annis*
*Orbita: tu ſemper diris mortalia cauſſis*
*Pectora contriſtas , ſeu curſu frigidus æquo*
*Prouehat , aut retrò tuus inclementior ignis*
*Vertat iter , iunctuſuè alio cum ſydere regnet ,*
*Aut ſolus. Nil mirum ergò ſi , ſqualida latè*
*Hoc anno Saturnus habet quo ſceptra tyrannus ,*
*Quo bis Luna , ſemel Phœbus caput abdidit vmbris ,*
*Agmine condenſo exierint è cardine Cancri*
*Tabificæ ſpeties, infandaq; ſemina mortis ,*
*Triſtitia , illuuies , papulæ , contagia, mucor.*
*Hinc quoq; , qui inſueto perturbat frigore cælum ,*
*Nuper hic effluxit populari vulnere morbus.*
*Vipeream hic animam glaciali ſumpſit ab Vrſa*
*Luridus, & paſſim miſeris mortalibus artus*
*Irruit, æſtiui tepefactos flatibus Auſtri ,*
*Continuò potuitq; humorum inuertere molem.*
*Quantæ huic ſe adglomerent curæ, quantiq; dolores ,*

*Quantus & ima pauor corda, & iecur hauriat ira;*
*Anteactiq; æui quàm dira piacula ſurgant,*
*Ipſe nec expediat diuini carminis auctor,*
*Qui quondàm doctas Atheſis te propter amœni,*
*Syphile, concinuit ripas, quàm Syphile turpi*
*Tabe miſer, pulchro tàm felix munere vatis.*
*Principiò hic morbus cunctis violentior, inſtar*
*Arietis ( hinc nomen forſan deduxit ) ab alto*
*Fornice ſigniferi qui princeps gloria Balthei*
*Ver ciet, humano & capiti, vt lubet, imperat atrox,*
*Inuadit caput, expugnat, diſiectat; & intrò,*
*Quà via facta, ruunt inimicæ protinus auræ.*
*Pars tenet arcem: pars hinc illinc cæca viarum*
*Obſidet: opplentur funeſto cuncta tumultu:*
*Cuncta venenato ſtipantur frigore: nulla*
*Pars iàm reſtat adhuc lethali intacta periclo.*
*Quin ſcatebræ erumpunt: proprio quin mergitur æſtu*
*Sacrum animi hoſpitium, & ſenſus vitalis origo:*
*Diſſilit vſq; adeò, atq; intus latè furit hoſtis*
*Aſper, acerbà tumens, nebulæq; iniuria gliſcit.*
*Hinc vti, purpureum cùm ver caput extulit aruis,*
*Nixq; iugis manat flabris reſoluta Fauonî,*
*Multifido torrens amni defertur in æquor,*
*Agricolis damnum haud ingens: Montanus at olli*
*Accola ſi ſtupa tabulatis, & pice iunctis,*
*Limoq;, aggeribuſq; vndas contrudit in vnum:*
*Tum verò aggeſtis fluuijs per plana volutus,*

*Sæuius*

*Sæuius incumbitq́ ſatis, dirùmq́ ſonanti*
*Vortice conuellit lentis radicibus ornos.*
*Sic humor ſuperans cerebri de gurgite pleno*
*Defluit in nares: ſedenim quia ſæpius obſtat*
*Interclusa via, in fauces rupturus ab ore*
*Labitur, aut nimium tenuis grauiore rotatu*
*Senſim (immane malum) arcana in præcordia fertur.*
*Hinc per tempus vtrumq́ ægris configit acutum*
*Verticibus clauum dolor: Hinc ſonor auribus ingens:*
*Hinc oculi ſomno expertes, ſicciq́ rubeſcunt,*
*Verſanturq́ graue adſpectum, lucemq́ peroſi:*
*Hinc vox rauciſona: hinc arens, & frigida tuſſis*
*Pectora diffindit, faucesq́ exaſperat vrgens:*
*Spiritus ægrè imo trahitur de pectore: lingua*
*Scabra: ſupercilium triſte: anxia cura, animiq́*
*Deiectæ vires, At largè vbi noxius imber*
*Altius inſedit, læſitq́ os cordis; & imis*
*Lutea viſceribus iàm ſeſe egurgitat vnda:*
*Tùm verò damnata ſitis: tùm nulla voluptas*
*Mandendi: tùm vires languent: tùm labat omne*
*Corpus; totisq́ exardens furit impia venis*
*Febris, & inſultans miſerè depaſcitur artus,*
*Exagitatq́ ægros trepida formidine mortis,*
*Triſtitia, languore, metu, & concreta dolore*
*Omnia. Quid plura? obſcænum crudeſcere monſtrum*
*Hoc Deus ad ſummum voluit, grauiore flagello*
*Vt nobis ſic terga ſecet, quò clade ſepulchri*

 *Plus*

*Plus caret, in plano modò ne Podalirius anceps*
*Succidat, obſcuretq́ malum. Quibus integra mens eſt,*
*O fugite inuolui hac cæca contage! facultas*
*Si datur, in ſyluas, in agros, & in ardua montis*
*Ferte pedem, humano quà non via candeat vllo*
*Trita ſolo. At ſi vel ſecreta in parte repoſtos*
*Vosq́uoq́ corripiat tabo ſpirabilis aër:*
*Hoc ſit opis, non quærere opem: tenuiſſima victus*
*Sit ratio: ſperanda ſalus hinc vna: medentûm*
*Scilicet ars vacet: ægrorem ieiunia flectant.*
*Bis deni excesſere anni, cum lethifer idem*
*Ingruit hic miſeris paſſim mortalibus error,*
*Mauortis, lentiq́ Senis coeuntibus aſtris.*
*Hæc primùm miſeranda lues erupit ab axe,*
*Durus Hyperboreum quà Iuppiter aëra denſat*
*Tùm niue, tùm glacie æternùm; Scythiamq́ pererrans,*
*Sarmatiamq́; velut ſtipulis immiſſa furenti*
*Iapyge flamma ruit, ſparſit contagia latè,*
*Quà cælo inſurgit minitanti vertice Imaus,*
*Viſtula quà gelidus, quà vaſto labitur alueo*
*Euxini longè in truculenta volubilis Iſter*
*Cærula. Tuq́ itidem extemplò, Germania, peſtem*
*Hauſiſti, quà Rhenus agros fæcundat, & inter*
*Hercinios ſaltus lambit ſata corniger Albis.*
*Hinc Lyger, hinc infectus Arar. Non triſtia cladis*
*Vindelici, Rhæti, Allobroges fugêre; nec armis,*
*Ingenijsq́ ferax, & quondam oppreſſa Tyrannis*

Repulit

*Reppulit Italia excidium. Padus, Abdua, Varus,*
*Macraq́; ſenſere, atq́; Arnus, Lyrisq́; procellam;*
*Tuq́;, ô Tybri pater, memini ſi ritè (fluenta*
*Nam tua fortè ſedens propter, puerilibus annis*
*Tunc primùm didici graciles inflare cicutas)*
*Plurima natorum defleſti inopina tuorum*
*Funera. At occiduas petijt violentius oras*
*Noxius hic aër: teſtis quam celſa Pyrene*
*Proſpicit hinc illinc regio: ſcit diues Iberus:*
*Scit Tagus: in geminas partes quin obice ſecto*
*Impiger Alcides ſcopuloſæ vbi rupis Atlanticum*
*Oceanum excluſum noſtras admiſit in vndas,*
*Vel ſæuo obluctante freto penetrauit ad Afros,*
*Getulos, Numidas, Garamantas; & icta veneno*
*Alipedum alma parens tota eſt Mauruſia tellus.*
*Sic Thrax, ſic Macedo, ſic Graius ſplendidus olim,*
*Turpibus at nunc ſeruitijs obnoxius, ægrè*
*Tabuit, Aegæum & mare Cycladas interfuſum.*
*Tactus Arabs, Perſa, Armenius. Lycijq́;, Phrygesq́;,*
*Seres &, arboreis qui tenuia vellera ramis*
*Depectunt, vitium imbiberunt. Temerata Damaſcus,*
*Et, qua nil ſpectat Sol pulchrius æthere, Daphne:*
*Iactet Oronteo licet hæc ſe gurgite; & illa*
*Intumeat palmis, animato & principe limo.*
*Quid plura adglomerem? Ipſa etiam nitidiſſima Ponti*
*Pignora non potuere malas auertere Diras:*
*Nam quæ fœda lues corrupit brachia terræ*

*Omnia, fluctiſonos tractus, camposq; natantes*
*Illa etiam potuit temerare immanibus auris.*
*Inclyta gens teſtis, quæ vndantia tetra Getarum*
*Agmina prædonum aufugiens confluxit in vndas*
*Hadriacas, latuitq;, vrbemq; locauit in alga:*
*Libertatis Amor tanti fuit. Vbere pollens*
*Frugis inexhauſtæ teſtis Trinacria. Cyrnos*
*Tot bellis agitata diù, veſtigia plantæ*
*Sardinia humanæ referens, generoſa metallis*
*Ilua, intortæq; anteactis Balearica ſæclis*
*Vtraq; pars fundæ iactu celeberrima, virus*
*Senſere, atquè aliæ gnatæ innumeræ Amphitrites.*
*Sic eſt viſa trahi totis hæc morbida terris*
*Ocyus, afflixit paſsim quæ flamine mundum,*
*Vis cæli. Sic primo aduentu incognita fluxit.*
*Hinc rata conflatum hunc cæca putredine morbum,*
*Lubrica in exitium vulgi veſtigia torſit*
*Ars medica: vſq; adeò eſt fallax, atq; inſcia veri.*
*At pelago in magno vt ventis tumefacta ſecundis,*
*Pleniſq; inuolitat velis perniciter alnus:*
*Fragmina naufragij non caſu obiecta paueſcit,*
*Clauiq; arguto flexu pallentia Cete*
*Declinat, Phocasq;; nec illi abrumpere curſum*
*Quid pote: cùm tandem ſubiectis excita petris,*
*Vt miſerè obtundat tanti faſtidia flatus,*
*Paruula ſe obfigit proræ, & (mirabile dictu)*
*In medijs remoratur aquis Echenêis euntem:*

*Illa*

*Illa hæret: ſtupet immota de puppe magiſter.*
*Sic obſcæna lues, totum bacchata per orbem*
*Vertice ſublimi, non arte Machaonis vlla*
*Egregia, aut acri ingenio, ſed futilis herbæ*
*Viribus (vt Deus illudit!) deuicta receſſit.*
*Barbara cui radix, alia aut medicamina Eoi*
*Vberis excitura aluum data; ſanguine vena*
*Cui ſaliens media inter brachia ſecta, ſupremis*
*Occubuit fatis. Tua tandem inuenta ſalubres,*
*O Malache, exhibuiſſe vſus obſtantia lenè*
*Deijciens virtus. Verùm nil profuit æquè*
*Ac tenuis victus. Tabem hic haud ſegniter vnus*
*Vincere compertus, paullatìm munere dio*
*Reſtituens, AVGVSTE, ægros à limine Mortis.*

AD

## AD IACOBVM AVRIAM.

### EIVSDEM EPIG.

*SOLLICITO exegi quæ tandem exculta labore*
*Fer patri: Inuidia nî arcear, ipſe feram.*
*Durius excudi fateor, quæ dura rigeſcunt*
*Signa adamante ratus longam habitura diem.*
*Iàm decora in patre cerne legens tua: forſitan in te*
*Mox, IACOBE, legens cernet & ille ſua.*

## IN AVGVSTINVM AVRIAM Genuæ Sereniſsimum Ducem creatum

### EIVSDEM ODE.

*VSITATI deſinè tramitis,*
*Et ſperne campos, imaq; vallium,*
*Viæq; per conceſſa paucis,*
*Muſa volens, agita quadrigas:*
*Nec non citatis tu, mi anime, arduum*
*Pennis adurge, dùm patriæ decus*
*Inſigne dicturus, coronas*
*Temporis arbitrio negatas*

*Conor recentis plauſibus imperî*
*Nondum quietum conijcere in caput;*
*Audax & aſpergo beatam*
*Canitiem haud humili camœnà.*
*Tandem piorum tergemina prece*
*Diù vocatus Lucifer aureum*
*Os, vndè debacchatur Eurus,*
*Extulit alitibus ſecundis.*
*Hac luce primis nempè ſedilibus*
*Haud imminuto concilio* AVRIA,
*Votiſq; centenis creatur*
*Præſidium; integritaſq; clauum*
*Sortitur Vrbis, quæ Ligurum potens*
*Et hinc & illinc pectora temperat:*
*Hac luce non culpata virtus*
*Fraudis in inuidiam eniteſcit.*
*Quæ gentis olim ſic viguit tuæ*
*Circà ſuperbas gloria imagines*
*In te renata, expers caducæ*
*Sortis, amat decora, & trophæa;*
AVGVSTE. *Sceptrum quarè agè debitum*
*Multum ante tempus lætior incipe*
*Tractare; nec te liuor ater,*
*Vipereo ſimul ore tetrum*
*Vomat venenum, terreat. Hic opes,*
*Hic furtìm honores appetit impiger*
*Vexare, virtutemq; in æuum*
*Ponè premens, timidos fatigat,*

*Tardatq́. Sed tu nequitiæ abſtinens,*
*Et iurè partis largè opibus fluens,*
*Non erubeſcendaq́ fama*
*Egregiæ ſobolis decorus,*
*Et vſque compos mentis, idoneum*
*Te rebus arctis fortiter argues;*
*Et, qui dabit ſe cunque caſus,*
*Per medium inuiolatus ibis.*
*Eſt parte ab omni, quò grauioribus*
*Se ritè curis mens tua dirigat,*
*Non negligens, ne detur, vndè*
*Vel nebula tenui allabores.*
*Te plebs parentem nuncupet vt ſuum,*
*Sit frugis hornæ copia, ſit meri;*
*Tandemq́ decreſcat, quod vltrà*
*Fas pretium exſiliјt. Tonanti*
*Hoc eſt amicum: continet vnicè*
*Hoc illigatos cùm populo patres:*
*Defendit altis hoc probroſa*
*Vrbibus excidij. Reorum*
*Tutela præſens inſuper ò ames*
*Dici, expedire & dura negotia*
*Velox; inacceſſiq́ poſtes*
*Fac pateant; facilesq́ præbe*
*Pacatus aures vocibus; & ſtatus*
*Callens quis oras occupet Italas,*
*Quò Martis eruptura nubes*
*Funeribus grauida, intuere.*

*Quid*

*Quid Tuſcus, aut quid cogitet Inſuber,*
*Quidue Hadrianus quære; nec interim*
*Lentè quieſcendum. Fauillas*
*Proximus eiaculatur ignis.*
*Hac arte frater poſt patruum tuus,*
*Mirè hunc gubernans qui tenuit gradum,*
*Innixus, effulſit ſerenis*
*Luminibus, patriamq́ iuuit:*
*Atquî ſupremis ordinibus iubar,*
*Captare mentes callidus aſperas,*
*Quæſiuit optatum, nec antè*
*Seu prece ſeu pretio coëmptum.*
*Explorat aurum Lydius vt lapis,*
*Oſtendit aptos ſic regimen viros.*
*Excurre: non anguſta laudes*
*Area quà referas pateſcit.*
*Damnoſa quod non turpe licentia*
*Patrat? locorum quo minus infrequens*
*Venale lethum? lex, pudorq́*
*Quo magis atteritur? Fouentur*
*Vires ab auro. Quàlibet impotens*
*Prædo vagatur, ritu & Iapygis,*
*Vtcunq́ quercetis proteruus*
*Incubuit ſyluæ tyrannus,*
*Armenta vaſtat, diripit & greges,*
*Dura & bipenni cædere non ſuas*
*Condiſcit ornos: Hinc viator,*
*Agricola hinc metuit ruinam.*

*Hæc hæc cauenda, haud ludicra. Cæterùm,*
*Non nequior ſi quis leuia audeat,*
*Et dura tolli, idcircò ab vrna*
*Non capitis minor eruendus.*
*Libranda culpa eſt. Quodq́; ſuo pede*
*Dijudicandum crimen: at odimus,*
*Vltroq́; calcamus benignum*
*Ingenium, tenuemq́; cenſum.*

## EIVSDEM IN EVNDEM ANAGRAMMATA.

### AVGVSTINVS AVRIA.
Naui Argus auitus.

*TAnto oneri AVGVSTVS dubitas ſit idoneus? Annè*
*Quod patruo, & fratri ceſſit, non munere dignum*
*Credis eum, Liuor? puro de nominis antro*
*Illius ergò altè, Solymorum more vetuſto*
*Hinc illinc motis elementis, erue ab arte*
*Veridicum oraclum. Non clauum nauita flectat*
*Aut piger, aut nouus: At præſit NAVI ARGVS AVITVS.*

### AVGVSTINVS AVRIA.
Virtus vna gauiſa.

*TE decus in tantum euecto proh, Liuor vt altùm,*
*AVGVSTE, infremuit! luxit vt omne nefas!*
*At VIRTVS VNA vt GAVISA! Pari ingruit in par*
*Nempè amor: In diſpar ira, odiumquè ruit.*

AV-

## AVGVSTINVS AVRIA.
Arguat ſuaui niſu.

*Q*Viſquis homo es ſcelerum, reſipiſce: *AVGVSTVS eburno*
*Inſidet en ſolio: mitis, vt æquus adeſt.*
*Ne dubita: ad frugem meliorem te modò vertas,*
*ARGVAT hic SVAVI NISV, & amore regat.*

## AVGVSTINVS AVRIA.
Iuſta Agna, vir vſu.

*I*Nteger *AVGVSTVS morum, metuenſquè Tonantis*
*Vſquè ætatem agitat: Sed ſi fluitantia vulgi*
*Fræna habeat, non oſtrum ideò imbecillus inumbret:*
*Quin vitæ exemplum tradat, ſpecimenquè regendi,*
*Cum IVSTA AGNA auo degat, ſceptriquè VIR VSV.*

## AVGVSTINVS AVRIA DVX GENVAE CREATVS M.D.C.I.
Gaudia riſu catus exurgens cudat in æuum.

*R*Eſonent vrbis compita lætis
*Vocibus: aures carmine dulci*
*Feriant vates: nemorum rupes*
*Iterent vaſtis grata cauernis*
*Murmura: tonitrus læua ſereni*
*Det plaga Olympi: triſtia cedant.*
*Sedet en merito ſolio princeps*
*AVGVSTVS: agat procul in pelagi*
*Vada hic inſani mala, & ærumnas:*
*Patriæ at caræ GAVDIA RISV*
*CATVS EXVRGENS CVDAT IN AEVVM.*

## AVGVSTINVS AVRIA DVX GENVAE CREATVS M.D.C.I.
Cinctus iuge aura ex dia ſudum eruat Agnus.

*V*Rbis, *IANE, tuæ AVGVSTVS moderatur habenas*
*Iam tandem. Eià agedùm puppi ne flamina Cauri*
*Sæua tuæ timeas vltrà, diraſquè procellas:*
*Iuſtitiæ radijs hic mentem, & murice crines*
*CINCTVS, IVGE AVRA EX DIA SVDVM*
*ERVAT AGNVS.*

CHRONICVM IN EVNDEM.

HOc anno ſella præfvlgere cœpit in avrea
Ivſtitiæ AVGVSTVS lvx, poli ab arce Means.

ALIVD DVPLEX.

VRbs Genva, exvlta: AVGVSTO ſva præMia fvnDvnt
Clara poli: hic noxis crvx ſit, hic exſvlivM.

ALIVD.

PAtriæ AVGVSTO ſvbevnti habenas
An rogas ævi qvotvs aſſit annvs?
Ritè veſtiga: ratio è figvris
Ob via fiet.

# EIVSDEM ANAGRAMMATA
## IN IACOBVM AVRIAM.

IACOBVS AVRIA.
I vocis ab aura.

*ABſona vox fateor noſtra eſt, & in aera fertur*
*Durior. At quamuis lenè, ſublimibus olim*
*Alba tamen feriat pennis, IACOBE Camœna*
*Noſtra ergò volitans vtcunq; I VOCIS AB AVRA.*

IACOBVS MAXIMVS DE AVRIA.
Exi, audi, cubus Amoris ama.

*VVlgum EXI: audentes AVDI ſublimia uates;*
*Noſquè itidem, cùm ſis CVBVS AMORIS, AMA.*

I A.

IACOBVS D'ORIA SERENISSIMI.

Subi, ò Doris, Sirenas mi iace.

*MVſarum è pelago in laudum iuga celſa tuarum*
*Cùm, IACOBE, lubet, monſtra canora cies.*
*Ergo SVBI, O DORIS, SIRENAS MI IACE in altum*
*Pectoris, intègrum cùm mihi carmen eris.*

IACOBVS MAXIMVS AVRIA AVGVSTINI SERENISSIMI GNATVS.

Eximias vatum cubus Sirenas amoris
gignis in auſa tui.

*ANſer ego elinguis: ſed dum tibi carmina pango,*
*(Tanta tua eſt virtus) non rudis vſquè feror.*
*EXIMIAS VATVM CVBVS SIRENAS AMORIS,*
*Auria, nimirùm GIGNIS IN AVSA TVI.*

IACOBVS MAXIMVS DE AVRIA.

Aureum amico ſidus ab axi.

*DE leui hucuſquè incinui Camœna*
*Te tuis dixi meritis minorem,*
*Affluens vena minimùm benigna, &*
*Roboris expers.*
*Surgere at, IACOBE, animo ſtat olim*
*In tuas laudes, modò tu tenèbras*
*AVREVM nobis adimas AMICO*
*SIDVS AB AXI.*

IACOBVS AVRIA SERENISSIMI.

Siren ab aris ſuauis ocij mei.

*PRiſci per aras æquitatem intelligi*
*Dixere. Vates dedecent haud ocia.*
*Tu, ſi quid exit dulce, tu per me canis,*
*IACOBE: degis triplici ergò nomine*
*SIREN AB ARIS SVAVIS OCI tu MEI.*

IACOBVS AVRIA.

Iui ab acu roſa.

*Hucuſquè rupes inter, & aſpera*
*Dumeta agreſti Pinus inhorrui*
*Dicata Pani: ſuauius at tua*
*Afflauit aura flamen vbi, rudi*
*Natura noſtro cortice abit prior:*
*Mutata florem ſic in amabilem,*
*IACOBE, odorata IVI AB ACV ROSA.*

F. Baptiſta de Finario Inq. Genuæ die 23. Iulij. 1602. vidit hunc libellum D. Io. Bapt. Pinelli, & nihil inuenit, quod ſit contrarium fidei Catholicæ, & bonis moribus; in quorum fidem, &c.

GENVAE,
Ex Typographia Pavonis.
MDCII.

Z
1148.20

99 962255

ALLEGRI
LABORAT.
RESTAURO
LIBRI
PARMA